



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

lvii [i.e. xi]. Implicat omissio pura libera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

cipio, cui immaneat, & posset idem procedere à principio, cui non immaneret, adeoque non esse formaliter vitalis.

XI. Implicat omiſſio pura libera, ſive ut poſtquam voluntati objectum propoſitū eſt, ſub ratione boni & mali, hæc liberè omittat omnem circa illud actum. Moveretur enim voluntas ad hanc omiſſionē aliquo motivo, utpote quæ debet eſſe libera, qualis eſſe nequit poſita ſine omni motivo: & non moveretur ad illam aliquo motivo; incōceptibile enim eſt, voluntatem actu moveri, & nullum actū exercere, actus quippe voluntatis poſitivus eſt ipſa volūtatis motio, Neq; dici poteſt, ex eo motivo procedere omiſſio, poſt cujus præciſè propoſitionem illa ſequitur, poſſunt namq; volūtati ſucceſſivè proponi plura motiva omiſſionis V. G. ſacri audiendi, quorum tamen nō niſi unico moveatur ad hanc omiſſionē, ergo proponi voluntati motiva, & poſt ea ſubſequi omiſſionem, nō eſt ſtatim omiſſionem poni ex tali motivo, eſi in iis motivis non habuerit poſitivam diſplicitiam; aliàs dum quis poſt propoſitū motivum vanæ gloriæ, erga quod non habuit poſitivā diſplicitiam, ponit omiſſionem ebrietatis cenſebitur pec-

pec-

peccare ideò præcisè, quia nō displicuit positivè hoc motivum, quòd falsum est, cum ad peccatum requiratur positiva complacencia mediì illiciti. Idem respondendum iis, qui docent, dum plura motiva compossibilia omissionis proponuntur, omissionem procedere ex omnibus simul, nisi voluntas per actum positivum aliqua rejiciat. Nequè adhuc satisfacis dicendo; sicut ommissio nō propriè & formaliter, sed impropriè & interpretativè est voluntaria, quatenus quis nō agens, quando potest, ita se habet, ac si positivè nollet agere, sic quoquè voluntatem ad omissionem non moveri propriè, sed impropriè & interpretativè; nam si per omissionem exercet verè libertatem, debet verè moveri aliquo motivo. Dum itaque quis elicit amorem Dei intèsum ut quatuor, cum posset elicere intensiorem, non ponit puram omissionem hujus majoris intèssionis; sicut enim per actum positivum determinat se ad amorem, sic per eundem determinat se ad tam, & non magis intensè amandum. Atq; ex his sequitur, non posse proponi omnem operationem tanquam malam, quin eo ipso relinquatur locus uni saltem actui, quo cæteras aversetur, &

& consequenter in eo casu non poterit adhuc dari pura omissio libera. Similiter, Deum non posse mandare, ut quis liberè abstineat ab omni actu: demum, si post indifferenter propositum objectum, Deus negaret concursum ad omnem actum, præterquàm ad amorem, non posse liberè amari objectum, cum ejus pura omissio sit impossibilis. His tamen non obstantibus dabitur adhuc distinctio inter libertatem contrarietatis & contradictionis; libertas enim cōtradictionis in hoc præcisè cōsistit, quòd possit quis V. G. amare vel non amare, præscindendo, an possit non amare, agendo quid impossibile cum amore, an purè nihil agendo; libertas contrarietatis consistit in eo, quòd possit amare, vel agere strictè contrarium, nempe odisse. Exactius de Libertate Theologi.

DISSERTATIO QUARTA

De Habitibus.

I. **H**ABITUS naturalis seu acquisitus est *qualitas permanens* (id est, difficulter mobilis) *potentiæ vitali superaddita* (in rebus enim